

nec in debita proportione cum vasis consistit, vires prostermit, obstructions morborum genetrices parit, membris pondus ac gravitatem inducit, & ipsi vitæ præsentem parat perniciem, nisi vel matura venæ sectione plethoræ succurramus, vel ipsa natura sanguinem, quem vasa capere & digerere nequeunt, excernat: proinde observamus omnibus fere ætatibus solennes esse hæmorrhagias. Pueri ac adolescentes sanguinis profluviis è naribus magis subjecti sunt juxta *aph. 27. S. 3. Hipp.* In juvenibus sanguis magis molitur, exitum per venas pulmonis, unde hæmoptysis, *vid. aph. 29. s. 3.* Fœminæ omni mense purgantur per uterum. Viros & provectoris ætatis hæmorrhoidales excretiones exercent, monente id eodem *Hipp. s. 3. aph. 30.* Excretiones hæ, si consuetudinem tuentur, & quasi in habitum transierunt à quacunque etiam causa suppressæ, pessima ac infinita mala pro ætatum & individuorum differentia excludunt. Nos jam in præsentia saluberrimi hæmorrhoidalis fluxus usum in gravissimis & persanandis & præcavendis morbis generatim recensere instituimus, subjungendo, qualis pernicies machinæ accedat, si hic fluxus in asfuetis intempestive suppressus fuerit. Exoramus autem supplici prece Numen Divinum, ut instituto huic gratia & auxilio suo benignissime adesse ac annuere velit.

## II.

Quod vocem hæmorrhoidum attinet græca est & dicitur *αιμορροΐδης* latine hæmorrhoida, componitur *ἀπὸ τῆς αἵματος* & verbo *ῥέεσθαι* Germanice die Rück- Ader Affer- Ader oder güldene Ader propter commodum, uti *Solenander Cons. 20. s. 4.* rectissime innuit, quod valetudini

dini